

Lateinische Lektüreübung II (Faller)
Wintersemester 2023/24
Text 11

1 „O decus **Haemonidum**, populis quae pandere fata
Quaeque suo ventura potes devertere cursu,
Te precor, ut certum liceat mihi noscere finem,
Quem belli fortuna paret. non ultima turbae
5 Pars ego Romanae, **Magni** clarissima proles,
Vel dominus rerum vel tanti funeris heres.
Mens dubiis perculsa pavet rursusque parata est
Certos ferre metus: hoc casibus eripe iuris,
Ne subiti caecique ruant. vel numina torque
10 Vel tu parce deis et manibus exprime verum.
Elysias resera sedes ipsamque vocatam,
Quos petat e nobis, Mortem mihi coge fateri.
Non humilis labor est: dignum, quod quaerere cures
Vel tibi, quo tanti praeponderet alea fati.“
15 **Inpia laetatur vulgato nomine famae**
Thessalis, et contra: „Si fata minora **moveres**,
Pronum erat, o iuvenis, quos velles“ inquit „**in actus**,
Invitos **praebere** deos. conceditur arti,
Unam cum radiis presserunt **sidera** mortem,
20 **Inseruisse moras**; et **quamvis** fecerit omnis
Stella senem, medios herbis abrumpimus annos.
At simul a prima descendit origine mundi
Causarum series atque omnia fata laborant,
Si quicquam mutare velis, unoque sub ictu
25 Stat genus humanum, tum—Thessala turba fatemur—
Plus Fortuna potest. Sed si praenoscere casus
Contentus, facilesque aditus multique patebunt
Ad verum: tellus nobis aetherque chaosque
Aequoraque et campi Rhodopaeaque saxa loquentur.
30 Sed pronum, cum tanta novae sit copia mortis,
Emathiis unum **campis** attollere corpus,
Ut modo defuncti tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent nec membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat **umbra**.“

Hilfen:

- Z. 1: **Haemonis, -idis, f.:** „Thessalierin“, hier: „thessalische Hexe“.
Z. 5: **Magni:** es geht hier um den Beinamen „Magnus“... wer trug den doch gleich?
Z. 14: **vel:** hier: „sogar“.
Z. 15: **laetatur vulgato nomine famae:** = „freut sich, dass ihr Ruhm so weithin bekannt ist“.
Z. 16: **Thessalis, -idis, f.:** vgl. Z. 1, „Haemonis“.
Z. 16: **moveres:** „abändern möchtest“.
Z. 17: **Pronum erat:** „es wäre leicht gewesen“.
Z. 17f.: **in actus ... praebere:** hier: „zu Handlungen veranlassen“.
Z. 19: **sidera:** den „Strahlen“ der Sterne wird hier Macht über das menschliche Leben zugeschrieben.
Z. 20: **inseruisse moras:** „Aufschub erwirken“.
Z. 20: **quamvis:** hier: „wenn auch“; in dem Satz ist ein „aliquem“, „jemanden“, zu ergänzen.
Z. 31: **Emathiis campis:** die „emathischen Felder“ liegen in der Nähe einer griechischen Stadt namens Pharsalos.
Z. 34: **Auribus incertum:** „etwas für die Ohren Unverständliches“.
Z. 34: **feralis umbra:** „der Schatten eines Toten“.

Zusätzliche Aufgabe:

- 1) Wer könnte diesen Text in welchem Werk verfasst haben?